

- 1720.⁴
19^{1st} Ludovicus, Jacobus Fidler: De dominio ex contractu dolos
non translatu. 3 Sampl. 1720, 1736 & 1748.
- 20^{1st} = Ludovicus, Jacob. Fidler: De naturis testes examinante
2 Sampl. 1720 & 1744.
- 21^{2nd} = Ludovicus, Jacob Fidler: De grammatica mala. 2 Sampl.
1720 & 1745
22. Ludovicus, Jacobus Fidler: De facto tutorum a pupilli
non praestantibus.
- 23^{2nd} Ludovicus, Jacobus Fidler: De hypotheca facta fidei
propter debita ex dicto. 2 Sampl. 1720 & 1747
- 24^{2nd} Reinhardus, Conradus Ritterianus: De auctoritate loco
dictatis per alium. 2 Sampl.
25. Schlettius, Dr. Gerardus: De negotiis in persona propria
explicandis.
26. Schlettius, Dr. Gerardus: De negotiis in persona propria
explicandis.
27. Schlettius, Dr. Fidler: De criminis fidei.
28. Schlettius, Dr. Fidler: De dominio rei legatae
per iure translatu.

29. Schistarus, Christ. Georgius: De officiis hominis erga
semetipsum

30 " Thomasius, Christianus: De facultate lucardio
vulgaris, causa fatae excusat & dolo. 2. Saccul.

41.

1720. 23. b

DISSERTATIO JURIDICA
DE
HYPOTHECA
TACITA FISCI
PROPTER
DEBITA EX DELICTO,

QUAM
DEO T. O. M. ADNUENTE
IN ILLUSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA;

PRÆSIDE
JACOBUS FRIDER. LUDOVICI, Jcto,
POTENTISS. BORUSS. REGIS CONSILIARIO AULICO
ET PROF. PUBL. ORDINARIO,

Ad d. 18. MAJ. M DCC XX.

H. L. Q. C.

Placido eruditorum examini submittit

IOHANN MARTIN SCHOTT,
HASSO - DARMSTATINUS.

HALAE MAGDEBURGICAE,
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

LIBERIA CITATIM

ANNO MDLXXXV
TYPIS HENRICI
HERALDI

ET C. 10. 40. 024

CCCLXIIII
HABITAT
C. 10. 40. 024

CCCLXIIII
HABITAT
C. 10. 40. 024

CCCLXIIII
HABITAT
C. 10. 40. 024



DISSERTATIO JURIDICA,
DE
HYPOTHECA TACITA
FISCI
PROPTER
DEBITA EX DELICTO.

CONTENTA TOTIUS DISSERTATIONIS.

Descrip^{tio} hypothecæ ejusque etymologia, §. I. pignus & hypotheca s^ep^e promiscue accipiuntur, reuera tamen intuitu traditionis differunt, §. II. fundamentum diuisionis hypothecæ in tacitam & expressam. Subdiuiso Lauterbachii in hypothecam tacitam, puram & mixtam rejicitur, §. III. vocabulum fisci diuersimode accipitur, §. IV. fisci descriptio. Quisnam jura fisci habeat? §. V. debiti descriptio. §. VI. Fiscus habet tacitam hypothecam intuitu contributionum & tributorum, ordinariorum & extraordinariorum. In Marchia Brandenburgica præterea jure prælationis gaudet, §. VII. de hypotheca propter debitum primipilare. Quis primipilus? quid pilum? fiscus quoque hypothecam tacitam in illorum bonis, cum quibus contraxit, scilicet in bonis post constractum adquisitis habet, §. IX. De hypotheca tacita propter debita ex delicto.

) (2

Duo

CONTENTA TOTIUS DISSERTATIONIS.

Duo casus separantur, §. IX. tacita hypotheca cum priuilegio conjuncta fisco denegatur, §. X. Negligentia variae distinctiones, an sequatur propter delictum confisatio, annon, item, an sumus ante, an post condemnationem, §. XI. nec non, an fiscus agat ad panam, an vero prosequatur rem familiarem, §. XII. iudicium de bisce cassibus, & quidem de primo, quando confisatio sequitur, §. XIII. de altero, quando ea non sequitur, §. XIV. de tertio, quando fiscus persequitur rem familiarem, §. XV. Carpzonius fisco tacitam hypothecam sine jure prælati-
onis tribuit, §. XVI. idem facit Julius Clarus, §. XVII. no-
stra sententia, fisco non competere hypothecam tacitam propter
debita ex delicto, §. XVIII. probatio hujus sententiae, §. XIX.
casus l. un. C. pœnis fiscalibus creditores preferri, §. XX. quid
si fiscus cum aliis concurrat, quibus debitor quoque ex delicto
obligatus est? §. XXI. Locus ex Peretzio buc pertinens, §. XXII.
Clari distinctiones & questio[n]es in §. XVII. adductæ notan-
tur, §. XXIII. una saltæ est questio: an scilicet fiscus ad
late sententie tacitam hypothecam in bonis condemnati habe-
at? §. XXIV. respondetur Carpzonio §. XXV. subicitur An-
thonii a Mara censura Carpzonii §. XXVI. alius ejusdem lo-
cus refertur §. XXVII. in re principali nos cum Antonio &
Mara consentimus §. XXIX. per statuta in favorem fisci hy-
potheca tacita introduci potest, §. XXIX. quod factum in Sa-
xonia electoral, §. XXX. item in saxonia ducali, §. XXXI.
in ducatu Magdeburgico, §. XXXII. Würtembergico, §. XXXIII.
& in regno Borussæ, §. XXXIV. ius Bauaricum conuenit
cum jure communi, §. XXXV. conclusio dissertationis, §.
XXXVI.

§. I.



§. I.



uod generalia adti-

net, quæ ad explicationem terminorum in rubrica positorum faciunt, breues erimus. *Hypothecca*, quam Antonius Negusantius in *trad. de pignor. & hypoth. part. I.* num. 2. ab *vnō* sub & *ōēis* positio de-
riuat, (add. Huber. in *prælect. ad tit. ff. de pignor. num. I.*
& *rubricam in titulo ff. de rebus eorum, qui sub tutela, vel*
cura sunt, sine decreto non alienanatis, vel supponendis,) est
ius in re in gratiam creditoris in bonis debitoris con-
stitutum idque in maiorem securitatem crediti, vi cuius
creditor in casu, si debitor justo tempore non soluit,
contra quemcunque rei suppositæ possessorem agere
potest ad consequendam illius rei possessionem, donec
debitum solutum fuerit, conf. § 7. *J. de act. minor. de*

§. II.

*Hypothecca & pignus interdum promiscue usur-
pantur, quia pignus perinde, ut hypotheca, in securi-
tatem crediti creditori constituitur, & hinc in l.s. §. 1. ff.*

A

de

de pignor. dicitur, quod *inter pignus & hypothecam tantum nominis sonus differat.* Nec ratione rei obligatae differentia adest, siue ea sit mobilis, siue immobilis, utraque enim & pignori dari & hypothecæ nomine obligari potest. Unde quoties pignus in significatu speciali accipitur & hypothecæ opponitur, hoc intuitu traditionis fit, pignus enim creditori traditur, quo pertinet adclusio a pugno desumpta in l. 230. §. 2. ff. de V. S. hypothecæ possessionem vero debitor retinet, quamuis hoc certum sit, quod ex regulis prudentiae creditores rerum mobilium obligatarum traditionem ut plurimum urgere soleant, quoniam alias debitor perfidus, si rem obligatam alienaret eaque in loca dissipata transferretur, creditoris actionem hypothecariam difficultem, vel plane inanem reddere posset, v. §. 7. f. de act. Bachou. *de pignor.* c. I.

§. III.

Constitutio hypothecæ, de qua in §. I. diximus & quæ sit in securitatem crediti, prouenit vel ab homine, vel a lege. Priori casu adpellatur hypotheca expressa, posteriori autem tacita, vel, quia immediate ex lege descendit, etiam legalis. Lauterbachius in compend. iur. tit. ff. in quib. causs. pign. vel hypoth. tac. contrah. pignus, vel hypothecam tacitam, distinguit in puram, quæ a sola legi dispositione sine ullo hominis facto constituitur, & mixtam, quæ a lege quidem constituitur, sed non sine hominis facto, ad quam posteriorem speciem refert exemplum de locatore prædii urbani, cui res inquilini in illud præmium animo, illas perpetuo ibi habendi, in late hypothecæ nomine obligatae sunt, &c. Sed primo Dn. Præses jam ostendit in us. pract. distinct. jurid. tit. ff. de

ff. de pignor. ad. 2. hanc distinctionem mere theoreticam esse nullamque in foro utilitatem producere, deinde vero neque quoad theoriam fundamentum illa habere videtur. Nam in plerisque aliis casibus factum hominis concurrit, & Lauterbachius eos nihilominus ad pinguis legale purum refert. Ita, quando pupillis in rebus eorum pecunia emtis tacita hypotheca competit, sine dubio factum emtoris praecedit. Idem obtinet in hypotheca tacita, quæ liberis in bonis patris competit ratione honorum maternorum & materni generis, quæ pater administrat, & in reliquis. In legibus etiam, quas Lauterbachius citat, scilicet in *I. 2. 4 & 6. ff. in quib. cauff. pign. & I. 1. C. commun. de legar. de hypotheca pura & mixta nihil inuenitur.*

§. IV.

Ambiguitatem vocabuli *fisci* (de cuius etymologia v. Gail. *I. obs. 20. n. 3.*, & Peller. *in not. ad Klock. de aeraario I. 1. c. 2. num. 8. ad verb. fiscus ergo a fiscis.*) hoc modo ostendit Eckolt ad *tit. ff. de jur. fisci §. 1.* quod illud accipiatur (1) pro *subjecto* & sit communis arca, seu cista, constans pecunia publica ex multis & emolumentis successionum in bonis vacantibus, (2) pro *objecio*, & sit omnis pecunia publica ad usus publicos destinata, & (3) pro *jure confiscandi*. Posset etiam addere, quod illud vocabulum interdum pro aduocato, vel procuratore *fisci* accipiatur, v. Gothofr. *ad I. 5. C. de fid. & jur. hast. fiscal.* unde in actionibus, quas ejusmodi procurator instituit, saepius haec formalia adhiberi solent: in Sachen *Fisci Klägers an einem, Meuii Beklagten andern theils.*

A 2

§. V.

§. V.

Nos in praesenti cum Lauterbachio ad tit. ff. de jur. fisc. fiscum describimus, quod sit patrimonium rei publicae (monarchicae, aristocraticae, vel democraticae), comprehendens omnes res omniaque ejus jura ad pecuniarie ejus commodum pertinentia, utilitatibus & necessitatibus publicis inferuiens. Jus fisci in monarchia habet solus princeps, nisi illud alicui ex subditis, ut in Saxonia magistratibus criminalem jurisdictionem habentibus concederit, & hinc quando de jure fisci loquimur, idem est, ac si de jure illo queramus, quod Princeps intuitu fisci habet: Quamuis etiam nihil impedit, si quis dicere velit, fiscum personæ vicem sustinere, scilicet personæ a principe dependentis, prout in alio casu de hereditate personæ vicem sustinente dicitur in §. 2. I. de hered. inst. & l. 22. ff. de fidejuss.

§. VI.

Debitum intelligitur id, quod ab inuito, & debitoris, a quo inuito pecunia exigi potest, l. 108. ff. de V. S. l. 16. §. 3 & 4. ff. de fidejuss. & quemadmodum jus ad rem vel ex contractu, vel ex delicto oritur, ita quoque ex opposito obligatio, vel debitum, ex facto licto, vel illicito prouenit, l. 14. ff. de hered. petit. Ad nos, prout rubrum dissertationis ostendit, in praesenti debita ex delicto pertinent, si quis contra leges aliquid admisit & propterea ad multam soluendam condemnatus fuit.

§. VII.

Sunt alias diuersi casus, quibus fiscus jure tacite hypotheca gaudet, ut intuitu tributorum & contributionum, potior enim est causa tributorum, quibus priore loco omnina-

mnia bona cessantis (non soluentis) obligata sunt, prout
imp. Antoninus in *L. i. C. si propt. publ. pensi. at. vend. fuer.*
celebr. dicit. De ordinariis tributis res certa est, quod vero
extraordinaria adinet, DD. pro more dissentiantur. Hypo-
thecæ tacitæ horum quoque intuitu locum relinquunt
Brunnem. *proc. conc. cred. c. 5. §. ii.* *Carpzou. l. 4. resp. 77. &*
p. 1. c. 28. d. 49. ibique plures citati. Ex diuerso autem Lau-
terbachius *ad tit. ff. de prisil. cred.* secundum jus civile
hypothecam illam fisco non competere censet atque in
eum finem *l. 10. 17. & 37. ff. de jur. fisc.* adducit. Mihi vide-
tur priorem opinionem Brunnemannialiorumque recte
se habere. In *cit. l. 17. & 37. ff. de jur. fisc.* de hac qua-
stione nihil plane inuenitur, sed loquuntur illæ leges de
casu, quando fiscus poenam petit, quis vero poenam, vel
muletam ad tributa extraordinaria referret? Evidem in
l. 10. ff. d. t. dicitur, *non delinquere eum, qui in dubiis questio-*
nibus contra fiscum facile responderit? verum nego, quod
hic questio dubia adsit. Nam in *L. i. C. si. propt. publ. pensi.*
tributorum generaliter mentio fit, in verbis: *ob tributo-*
rum cessationem & potior est causa tributorum. Et quia nulla
disparitis ratio adparet, quia extraordinaria tributa
exequæ ad necessitatem & utilitatem publicam exiguntur,
quam ordinaria: hic certe meo judicio regule vulgatæ in-
herendum erit, quod lege non distingue[n]te nec nostrum
sit distinguere, Gothofred. *ad l. 8. ff. de public. in rem act.*
In Marchia Brandenburgica fiscus ratione residuorum
tributorum illis plane creditoribus præfertur, qui alias
iure separationis gaudent, de quo v. Brunnemannum *d.*
c. 5. §. ii.

§ IX.

Porro Fiscus jure tacita hypothecæ in bonis debitoris propter debitum primipilare gaudet, quia & hic utilitas publica priuatorum contractibus præferenda, *I.3.C.4 de primipilo*. Erat vero Primipilus comes primi ordinis & præfector decimæ legionis, cui tamquam legionis principi annona militaris committebatur. Pilum autem missile majus dicebatur, ferro triangulo, unciarum novem, hastili pedum quinque & semis, quod, nunc spiculum dicitur & quod scutatos pedites & loricates equites sæpe transuerberat, uti ex Pomponio Læto *de magistris Romanis*, Liuio *I.7.* & Vegetio *I.2.c.8.* explicat Perez *ad C. tit. de primipilon. 1. & 2.* Adhuc fiscus tacitam hypothecam habet in bonis illorum, cum quibus contraxit, eo modo, quem describit Ulpianus in *I.28. ff. de jur. fisci*. Si, inquit, qui mihi obligauerat, quæ habet, habiturusue esset, cum fisco contraxerit: sciendum est, in re postea adquisita fisca potiorem esse debere, Papinianum respondeisse: quod & constitutum est: præuenit enim caussam pignoris fiscus, conf. Fabius Capycius Galeota *in respons. fiscal. resp. 6. n.34.35. 03.*

§. IX.

Hi casus modo adducti genuinum fundamentum habent, neque DD. dissentunt, nisi in eo casu, quem in §. VII. de tributis extraordinariis habuimus. Sed nunc quæstio principalis occurrit: utrum fiscus etiam secundum jus Romanum intuitu debitorum ex delicto hypothecam tacitam in bonis debitoris delinquentis prætendere possit? Hic iterum specialius videndum, scilicet: an fiscus

fiscus tacitam hypothecam habeat *cum priuilegio p̄clationis*, an vero *nudam sine ejusmodi priuilegio?*

§. X.

Quoad priorem casum M. Anton. Peregrinus *de iur. & priuilegiis l. 6. tit. 6. num. 12. & 13.* priuilegium p̄clationis quidem denegat fisco, tacitam tamen hypothecam ipsi concedit. Adponamus ipsius verba: secundo, inquit, limita (*ad assertiōnē de jure p̄clationis int̄uitū debitorū fiscalium*) in p̄cenis fiscalibus: quod intellige, ut scilicet ante condemnationem fiscus non habeat bona condemnati hypothecata: post vero condemnationem sic: quia in iudiciis quasi contrahitur, *l. 3. §. idem scribit. ff. de pecul.* item ante sententiam fiscus non est creditor: post sic, *l. ejus qui ff. eod. i. si qua p̄na. ff. de verb. signific.* Bald. *in l. aduersus num. 4. C. de fur- tis & in l. alia C. de indig.* Non tamen ista hypotheca sic contracta p̄judicat creditoribus anterioribus, *l. in summo ff. de jure fisc. l. i. C. p̄c. fisc. cred. pref. lib. 10.* Et est communis theoria *de qua per Bart. in l. aufertur.* *§. fiscus. ff. eod. per Alex. & Ias. in l. rescriptum. in princ. ff. de paci.* Et per Negusant. d. 4. memb. num. 15. *Boss. de publ. bon. n. 81.* Ideo fidejussor pro reo de eo p̄sentando sub certa p̄ena, si aufugerit, condemnatus ad p̄cnae solutionem propter fugam ipsius rei, p̄fertur in illius bonis fisco, si contingat illius bona infiscari, aut p̄ena aliqua adisci, *per Franc. Bec. conf. 57. per totum.* Nil mitrum autem, si pro p̄cenis fiscus non habet priuilegium nam & alias hypotheca conuentionalis priuilegiata pro sorte, non se extendit ad p̄cnam in contractu adiectam, *Paul. Caſtr. in l. ideo. ff. de compensat. & pignus obligatum*

pro

pro sorte non potest retineri pro poena, odio poenarum,
Bald. in l. pignoribus C. de usur. & horum dicta refert &
 probat Negusant. de pign. in i. membr. s. partis. princip. num.
 41. Hactenus Peregrinus.

§. XI.

Consentient DD. hic, si non omnes, plerique
 tamen. Quod vero nudam, sive simplicem hypothecam
 adtinet, Negusantius de pignor. part. 2. principal
 membr. 4. num. 15. Baldi aliorumque distinctionem ad-
 ducit: aut ex delicto sequitur bonorum *confiscatio*, *aut non*.
 Priori casu juxta illum fiscus nullam habet hypothecam,
 nec ante, nec post condemnationem, nam ante conde-
 mnationem fiscus nullum habet jus in bonis delinquentis,
 post condemnationem autem & publicationem fi-
 scus est effectus dominus bonorum confiscatorum. Po-
 steriori autem casu, quando scilicet ex delicto non se-
 quitur confiscatio, sed aliqua pena pecuniaria, tunc
 subdistinguit: aut sumus *ante condemnationem*, aut *post*
eum. Si sumus *ante condemnationem*, fiscus nullam habet
 hypothecam, quia nondum dicitur creditor; si autem
 sumus *post condemnationem*, tunc (utor stilo Negusantii)
 quatenus est *respectu aliorum creditorum* & in *eorum pre-
 judicium* etiam fiscus non habet hypothecam, nisi forte
 essent creditores ejusdem tituli, puta ex delicto, quia
 tunc ceteris paribus fiscus deberet *preferri*. Quatenus
 autem est *respectu delinquentis*, vel *aliorum possidentium si-
 ne titulo*, fiscus dicitur habere tacitam hypothecam *ex*
die sententiae, quæ non porrigitur ad bona ante senten-
 tiæ alienatae,

§. XII.

§. XII.

Addit Negusantius loc. cit. n. 116. ex Alexandro, Baldo & confortibus, quod ad hunc quoque casum recipiendum sit, utrum fiscus agat ad paenam, an vero prosequatur rem familiarem, puta, si ageret ex damno dato in fundo fisci. De priori casu, quando ad paenam agitur, habuimus in §. præced. quoad posteriorem vero refert, quod tunc fiscus in continentib[us] bona dicti damnum dantis obligata habeat, quia tunc non censeatur proprius persequi paenam, & alias melioris conditionis esset delinquens in damnum fisci, quam contrahens cum eo. Ipsam Negusantii sententiam deinde suo loco adducemus.

§. XIII.

Videamus, an & quid adductæ distinctiones in recessu habeant & quid de singulis earum membris sentiendum sit. Primus casus erat, quando reus tale delictum commisit, propter quod bona ejus fisco addicuntur, & hic dicuntur, fiscum nullam habere hypothecam nec ante, nec post condemnationem, quia post condemnationem dominium bonorum delinquentis fiscus acquirit. Hæc nostræ sententiæ deinde uberioris declarandæ non contradicunt, interim tamen res clarius ita propo[n]untur. Ante condemnationem fiscus non habet tacitam hypothecam, accusatus tamen, præcipue in crimine leæ[m] majestatis, durante processu accusatorio bona sua alienare nequit, l. 5. s. 4. l. 6. §. 1. C. ad L. Jul. majest. Post condemnationem quidem fiscus consequitur dominium bonorum condemnati, sed omnia debita persoluerere tenetur, quia bona non intelliguntur, nisi de-

B

du-

ducto ære alieno, l. 39. §. 1. ff. de V. S. unde in terminis, ut vocant, terminantibus Jauolenus in calu nostro in l. ii. ff. de jur. fisci dicit: non possunt ulla bona ad fiscum pertinere, nisi qua creditoribus superfutura sunt: id enim bonorum cuiusque intelligitur, quod ari alieno supereft, add. Peregrian. de jur. fisci l. 5. tit. i. num. 53. Ant. Faber. in Cod. l. 9. tit. 6. def. 3. Ergo fiscus omnibus creditoribus ex alienum perfoluere tenetur. Sed quæris forsitan, an non sibi ipsi prius soluere possit in eo ordine, quo reliquis hypothecarii solui solet? respondemus, si habet hypothecam tacitam, sibi ipsi soluere potest. Verum quæstio præjudicialis est: an habeat illam hypothecam, de qua mox videbimus.

§. XIV.

Alter casus erat, quando ex delicto non sequitur confiscatio bonorum. Hic dicebatur, fiscum nullam habere hypothecam, si sumus ante condemnationem, in quo facile consentimus. Addebatur etiam eo casu, quando sumus post condemnationem, fiscum non habere hypothecam in prejudicium aliorum creditorum, quod nobis iterum non aduersatur. Ea autem, quæ Negusantius in verbis proxime subsequentibus subiungit, nisi forte essent credores ejusdem tituli, puta ex delicto, quia tunc ceteris paribus fiscus deberet præferri, nondum intelligimus, quia Negusantius non retulit, nec ipse ostendit, quomodo cetera paria esse queant. Et quid si etiam cetera paria essent nihilominus adhuc de fundamento hypothecæ quæstio maneret, ex quo fiscus reliquis creditoribus præferri debeat. Respedu delinquentis fiscus hypotheca tacita operis non habet, quando alii creditores non concurrent, nec

nec de eorum præjudicio agitur, quod in paulo præcedentibus supponebatur, sed ipse delinquentem actione personali conuenire potest, ad consequendum id, quod sibi debetur, si aliquid in bonis habet, alias enim inanis actio est juxta l. 6. ff. de dol. mal. & dicta actio personalis contra debitorem eodem modo etiam locum inuenit, si alii rem debitoris sine titulo possident, scilicet sine titulo habili ad transferendum dominium v. g. depositi, comodati, &c. aliter enim verba a Negulantio relata intelligere nequeo.

§. XV.

Tertius casus adducebatur, quando fiscus persequitur rem familiarem, id est, quando agit propter damnum datum in fundo fiscalis, & tunc, ut Negusantius referebat, in continentis fiscus habet bona damnum dantis obligata, quia non censetur propriœ poenam prolequi. Sed hæc decisio iterum petit id, quod in principio est. Nec illa ratio hypothecam tacitam producit, quam ex Baldo & Alexandro adducit Negusantius, quod alias melioris esset conditionis delinquens in damnum fisci, quam contrahens cum eo; hac enim ratione admissa, quilibet, qui de damno vitando certat, hypothecam tacitam in bonis damnum dantis haberet. Hoc vero in jure non reperitur & fiscus regulariter jure communi uitatur, nec priuilegiatus est sine priuilegio, quod ipsi reperitur concessum. Non habet priuilegia, nisi jure communi quæ reperiuntur indulta, Scaccia de adp. lat. quest. 17. limit. 6. membr. 3. num. 32. Meuius part. I. decis. 106. num. 2.

B 2

§. XVI.

§. XVI.

Proponamus jam ipsam quæstionem principalem.
Quæritur: an fiscus propter debita ex delicto tacitam hypothecam in bonis delinquentiis habeat? adfirmat quæstionem inter alios Carpzouius p. 1. c. 28. def. 104. cuius verba hæc sunt: attamen priuilegium hoc fisci, qui in bonis postea quæfitis, anterioribus etiam hypothecariis præfertur, neutiquam trahendum est ad penas fiscales l. un. C. pœn. fiscalib. cred. præf. Ordinat. Process. Iudic. Elect. Saxon. tit. 43. §. Desgleichen ob woll. vers. So hat doch solches jus prælationis in den verwirckten Straffen nicht statt. Nihilominus harum ratione fisco competit jus tacitæ hypothecæ, ex quo saltem posterioribus hypothecariis, siue expressis, siue tacitis præfertur, propter generalitatem text. in l. aufertur. 46. §. fiscus. 3. ff. de jure fisci. Gloss. in dict. l. un. C. pœn. fiscal. credit. Quod jus hypothecæ incipit a tempore latæ sententiae & condemnationis, Jul. Clar. l. 5. sent. §. ult. quæst. 78. n. ult. Anton. Negusant. de pignor. part. 2. membr. 4. n. 115.

§. XVII.

Julius Clarus l. 5. sent. §. ult. quæst. 78. n. ult. ad quem provocat Carpzotius, ita ratiocinatur: sed, inquit, hic incidenter quæro, nunquid fiscus habeat bona delinquentiis tacite obligata, vel hypothecata? resp. aliqui dicunt simpliciter quod non, & hanc dicit esse plurimorum sententiam Fulg. conf. 179. n. 3. Hanc etiam opinionem dicit esse communem Salye. in d. b. si quis post, post n. o. C. de bon. proscript. Boff. in tit. de bonor. publ. n. 81. Tu vero dic, quod aut loquimur ante delictum commissum, & tunc certum est,

est, quod non habet in eis aliquam hypothecam. Et haec est communis opinio, ut dicit Butr. *conf. 6t. n.3.* Picus *in reper. l. post contradic. n.40. ff. de donat.* Aut loquimur post delictum commissum, antequam inchoatum sit judicium criminale, & pariter dicendum est, quod nullam habet hypothecam. Et est communis opinio, ut dicit Alex. *in l. rescriptum. in princ. n.8. ff. de pad.* Aut loquimur post sententiam & dic, quod a die latæ sententiae habet fiscus bona delinquentis hypothecata. Et est communis opinio, ut dicit Aug. *ad Ang. de malef. in verb. dictum Sempronium, sub n.11.*

§. XIX.

Nobis, quod pace Carpzouii, Clari, aliorumque differimus, placet sententia contraria, quod nempe secundum jus Romanum fiscus ne quidem a die latæ sententiae tacitam hypothecam in bonis delinquentis habeat, immo, quod omnibus creditoribus postponatur. Ut vero ordine procedamus, primo thesin nostram ex jure illo Romano probabimus, deinde vero ad argumenta dissentientium respondebimus.

§. XIX.

Thezin nostram probamus ex *l. 17. ff. de jur. fisc.* ubi ita Modestinus: *in summa sciendum est, omnium fiscalium poenarum petitionem creditoribus postponi.* Papinianus in *l. 37. ff. eod. fiscum* jus priuatorum non amittere dicit, sed tamen jus singulare ei non tribuit. Verba ejus sunt: *quod placuit, fisco non esse penam petendam, nisi creditores suum recuperauerint:* eo pertinet, ut priuilegium in pena contra creditores non exerceatur, non ut jus commune priuatorum fiscus amittat. Et hoc est, quod in §. XV. jam

B 3

ad:

adulimus, quod fiscus in dubio & regulariter jure communi & priuatorum utatur. Adde *I. un. C. poenis fiscalibus creditores preferri*: rem suam persequentibus poena exactio postponitur. Sicut itaque in sortis quantitate fisci persecutio potior est: ita in triplo quod poena nominadjectum est, propria forma servanda est. Præterea & hoc pro firmanda nostra thesi accedit, quod jus fisci ratione hypothecæ tacitæ sit jus singulare, in hoc jure singulari autem locum non habeat interpretatio extensiva; v. Stryk. *in nos. ad Brunnem. proc. conc. cred. c. 5. §. 52. verb. textu. & in us. modern. ff. tit. quib. mod. pign. tac. contrah. §. 4.* Ergo, qui legalem hypothecam statuit, legem pro sua opinione adducere debet, cum aliter, quam per legis dispositionem expressam competere non possit, atque consequenter cessante legis dispositione tacita quoque cesseret hypotheca, Merlinus *de pignor. & hypoth. l. 3. qu. 33. num. 14. Stryk. us. mod. ff. d.l.*

§. XX.

Adducta *I. un. C. poenis fiscalibus creditores preferri* non potest recte intelligi, nisi ipsi jungamus *I. i. C. de his, qui ex publicis rationibus mutuam pecuniam acceperunt, ubi ita: si quis ab exactoribus, tabulariis, & arcariis, officiisque rationum scænabrem pecuniam sumplerit, detectus in eodem, ad quadrupli poenam ex hac auctoritate teneatur.* Ratio legis est, quia pecunia publica in utilitates reipublicæ semper parata esse debet, ut quocunque tempore erogari possit, v. Brunnem. *in comm. add.*

ad d. l. i. vel etiam hæc, ne administratores, si ipsis permisum esset, pecuniam publicam priuatis mutuo dare, injustum lucrum sibi adquirant. Casus ergo in d. l. un. C. pan. fisc. hic est: Cajus ab administratore pecunia publica tciens mille thaleros ejusmodi pecunia mutuo acceperat. Fisco hoc denunciabatur & ergo fiscus contra Cajum actionem instituebat, non solum ad reparationem illorum mille thalerorum, sed praterea etiam ad poenam tripli, vel ad quadruplum, cui rei restitutio ineft. Cajus prater filicum alios etiam creditores habet & hinc quæstio oritur, an fiscus ceteris creditoribus præferendus sit? hic ratio dubitandi erat, fiscum esse præferendum, quia Caji contractus præcessit & nos supra ostendimus, fiscum tacita hypotheca gaudere in bonis ejus, cum quo contraxit, scilicet in bonis post contractum adquisitis. Verum respondet imperator in d. l. un. hic distinguendum esse inter simplum, cuius intuitu actio a fisco instituta rei persecutoria est, & inter tripulum, quod fiscus poenæ nomine petit. Priori casu in fortis quantitate fisci persecutionem potiorem esse, id est, fiscum propter tacitam hypothecam reliquis creditoribus præferri, posteriori autem, in triplo, quod poenæ nomine adjectum est, propriam formam seruari, id est, fiscum nullam hypothecam tacitam habere adserit, ubi rationem hanc subjungit Brunnemannus in comm. ad d. l. un. quia fiscus certat de lucro captando, creditores vero de damno vitando, quæ sententia quoque Negusantii de pignor. part. 2. princ. membr. 4. num. 18. esse videtur, quando dicit, quod quando sumus in causa onerosa, (scilicet in materia de contractibus,) in dubio præferri debeat

beat fiscus priuato, quando autem sumus in causa lucrativa, priuatus fisco præferendus sit. Aliter enim non intelligo Negusantium, quia fere obscure loquitur.

§. XXI.

Ad meliorem explanationem hujus materiæ adponemus verba Brunnemanni *in d. comm. ad l. un. C. pan. fis. al. cred. preferr.* Sed inquit: *an fiscus a tempore condemnationis habebit hypothecam?* resp. Clarus §. fin. q. 78. n. ult. quod sic, l. 46. & §. 3. de jure fisci, & Carpzou part. i. const. 28. def. 104. Sed hoc intelligendum in præjudicium rei, & aliorum creditorum, qui similiter ex delicto eum obligatum habent, non vero in præjudicium aliorum creditorum ex contractu, ut explicat Negusant, *de pign. membr. 4. part. 2. num. 15.* Ex quo probatur: si denunciatori, vel aduocato fisci dimidia pars poenæ ex constitutione debeatur, & delinquentis facultates utrique non sufficiant, quod tunc præferendus sit fiscus, quia fiscus in poenais præferendus est delinquentis creditoribus ex delicto, non item ex contractu, ut ex hac lege probat Couarruu. lib. i. resol. c. 16. num. 8. Perez, *ad hunc tit. n. 7.* Non quidem expresse dicitur in d. l. un. quod fiscus hoc casu tacitam hypothecam habeat in bonis debitoris, potest tamen admitti sententia Brunnemanni, quod fiscus denunciatori præferatur, quia emolumenntum denunciatoris ex mera gratia principis prouenit, unde non est præsumendum, quod princeps fiscum denunciatori, vel alii, postpone-re voluerit.

§. XXII.

§. XXII.

Pertinent huc etiam, quæ habet Perezius ad *sæpe d. tit. C. pæn. fiscal. cred. præferr. num. 7.* Quod si delictum sit tale, ob cuius perpetrationem pœna ipso jure adplicetur fisco, & ad eam concurrant denunciator, judex, aliquis ministri justitiae, quibus ratione officii, jus competit istius pœnæ, fiscus præferretur, nec prius, quam illi plene satisfactum sit, reliqui agere possunt. Hinc si concurrat denunciator & fiscus, reo condemnatio in multam 200 aureorum, qui tamen in bonis non habet ultra 100, totam hanc summam fiscus auferet, quia ante ejus exactionem, nullum jus aliis competere videtur, *l. 29. ff. de jur. fisc. ibi Bartol. Bobadil. l. 5. p. lit. c. 6. n. 5. 7 & 8.* Contrarium tamen fuisse judicatum in curia Parisiensi meminit Ioan. Gallus *q. 130.* Et Coivar. *l. 1. var. ref. c. 16. n. 8.* Ita quidem ut satisfecisse videatur condemnatus partem dimidiā offerendo, quodque in ea parte non præferatur fiscus priuato, sed uterque cum creditor ex eodem facto sit, concurrat ad partem æqualiter diuidendam; quoniam hic cessat causa prælationis, quæ tunc demum consideratur, cum ex diuersis factis duo creditores adparent. Ita post citatos Peregrinus *de jur. fisc. l. 4. tit. 8. n. 12.* Sed probabilior est prior sententia, & plures habet adsertores, quos refert Larrea *adleg. fisc. 37. n. 22. & decis. gran. 27. n. 9.*

C

§. XXIII.

§. XXIII.

Clari distinctiones & quæstiones supra §. XVII.
adductæ reuera ineptæ erant. Distinguebat ille: an
fiscus tacitam hypothecam habeat *ante delictum commis-
sum*, an vero *post illud perpetratum*, an denique *a die la-
tæ sententie solum*. Quilibet facile videt, ridiculum
esse, si quis quærerit: an fiscus hypothecam habeat *ante
delictum commissum?* ubi enim nulla est obligatio prin-
cipalis, ibi etiam nulla hypotheca esse, vel de ea quæri
potest. Atqui *ante delictum commissum* nulla est ob-
ligatio ex delicto, & tamen illa in præsenti materia
tamquam præexistens necessario supponenda est. De-
inde *ante sententiam latam iterum* non potest quæri de
hypotheca, quia lite pendente nondum constat, utrum
delictum reuera perpetratum fuerit, necne, & de re-
troactione a die late sententiae ad diem commissi de-
lieti in legibus nihil plane inuenitur.

§. XXIV.

Manet ergo unus solummodo casus & quæstio,
scilicet: *an fiscus a die latæ sententiae, seu securæ condem-
nationis, hypothecam tacitam in bonis ejus, qui per senten-
tiæ condemnatus est, consequatur?* Carpzouius adfirmat,
v. supra §. XVI. nec sine lege loqui vult, adducit enim
pro firmando sua adformatiu*a l. 46. §. 3. ff. de jur. fisc.* in
qua claris verbis dicitur: *fiscus SEMPER habet jus pi-
gnoris.*

gnoris. At vero particula illa: *semper*, exponitur pro omni tempore & omni casu, v. Strauch. *lex. partic. jur. voc. semper.*

§. XXV.

Sed non difficilis videtur esse responsio. Ostendimus enim supra §. XIX. ex ipsis legum fontibus, omnium fiscalium paenarum petitionem creditoribus postponi, & ergo fiscum propter debita ex delicto hypotheca tanta non gaudere, alias enim non esset postponendus, sed potius preferendus. Cum ergo secundum sanam rationem in dubio non presumatur, quod legislator sibi ipsi contradixerit; hinc citata l. 46. §. 3. ff. de jur. fisc. & in ea vox: *semper*, ita explicanda, ut ad materiam de contractibus solum pertineat. Ethoc est, quod DD. dicunt, dictam vocem ex substrata materia explicandam esse. Exemplum hanc materiam illustrans ex materia de jure primogeniturae & successione in bonis eo pertinentibus sequens adducit Strauchius loc. cit. num. 10. Particula *semper* in clausula quod masculus feminam semper excludat, debet intelligi secundum subjectam materiam. Subjecta autem materia hic est jus primogeniturae, in quo prelatio semper intelligitur, quoad existentes in pari gradu & linea, nec respicit ad omnem casum successionis, sed quod semper inter nepotes, proprie nepotes & ceteros descendentes in pari gradu existentes masculus preferatur, non autem si sint alterius lineae & gradus. Et ita in specie primogeniturae, non ob-

C 2

stan.

obitaute illa dictione, *semper* foeminas proximiores esse praferendas masculis remotioribus dixerunt. Didac. a Spino gl. 19. n. 89. Ceph. conf. 156. num. 50. & 53. Thesaur. 99. forens. lib. 2. q. 12. n. 43. 46. 58.

§. XXVI.

Carpzouium jam notauit Anthonius a Mara, siue, quod proprium ejus nomen est, Elias Schnegas, *in tract. de concurs. cred. in foro ciu. form. l. 2. tit. 4. n. 2. & 3. sub rubr. de creditoribus*, qui ad classem secundam non sunt referendi. Ita vero ille: fiscus, ratione poenæ delicti; quia ratione poenæ delicti, nec tacitam hypothecam, nec priuilegium habet. *l. un. C. pœn. fisc. cred. præf. l. 17. ff. de jur. fisc.* Hinc errat Carpzouius, *p. i. c. 23. dec. 104. n. 2.* dum ibi dicit; nihilominus, ratione poenarum fiscalium, fiscum habere tacitam hypothecam & priuilegium prælationis a tempore condemnationis, & præferri posterioribus hypothecariis, siue expressis, siue tacitis propter generalitatem textus, *in l. 46. §. 3. ff. de jur. fisc. gloss. in l. un. C. pœn. fisc. cred. præf.* Nam (1) *l. 46. §. 3 ff. de jur. fisc.* loquitur quidem generaliter, & dicit fiscum semper habere jus pignoris; sed illa generalitas restringitur alibi in jure ad contractum formaliter & expreſſe a fisco initum; (1) quia ratione ejusmodi contractus, demum habet tacitam hypothecam *l. 2. C. quib. caus. pign.* (2) quia si priuato creditori succedit fiscus, ratione ejus crediti non habet jus pignoris, uti *lib. 2. iit. 6. 17.* demonstrauit. (3) quia ratione poenarum fiscalium non habet jus pignoris, nec priuilegium *l. 17. l. 37. ff. de jur. fisc. l. un. C. pœn. fisc.*

fisc. cred. præf. Et sic vox, *semper*, non ponitur generaliter, sed specialiter, si ipse formaliter & expresse extra judicium contraxit, non autem, si tacite per litis contestationem contraxit in judicio. (II.) *l. un. C. pœn. fisc. cred. præf.* in illis verbis: *sicut itaque in sortis quantitate fisci persecutio potior est: ita in triplo, quod pœna nomine adjectum, propria forma seruanda est;* non loquitur de pœna delicti, sed de pœna conventionali, quæ ex formali & expressa conventione principali conventioni adjecta est, & dicit, sicut fiscum in principali contractu ratione sortis potior est, ita etiam in conventione penalí, ratio ne pœnæ adjectæ potiorem esse, quia esset expressa conuentio, ex qua haberet tacitam hypothecam, *l. 2. C. quib. cauf. pign. & præfertur posterioribus hypothecariis, l. 28. ff. de jur. fisc.* Et chirographariis *l. 9. C. qui potior. in pign. habeant.* (III) Carpzouius sibi ipsi non constat, dum dicit fiscum, ratione pœnarum fiscalium, habere a tempore condemnationis priuilegium prælationis, & tamen præferri posterioribus. Nam, si duntaxat posterioribus præfertur, non habet priuilegium legis; quia is, qui priuilegium legis habet præfertur anterioribus. *l. 1. C. si propri. publ. pens. l. 12. §. 1. C. qui por. in pign. habeant. l. 5. l. 6. ff. qui pot. in pign. vel hypothec. habeant. nov. 97. c. 3. (IV.)* quia eo ipso, dum post litis contestationem & condemnationem pœna fiscalis demum incipit esse pœna, necesse est, ut pœna fiscalis a tempore condemnationis, neque tacitam hypothecam, neque priuilegium prælationis habeat. *l. 17. l. 37. ff. de jur. fisc. l. un. C. pœn. fisc. cred. præf.*

§. XXVII.

Similem locum habet idem autor *dit. libr. 2. tit. 6. n. 20. seqq.* Fiscus, inquit, in bonis delinquentis, ratione multæ, post sententiam anterioribus hypothecarii non præfertur; quia licet post litis contestationem, actio ex delicto, amplius non sit ex delicto, sed ex contractu, dum per litis contestationem contrahitur cum aduersario, & judice, *l. 3. §. 11. ff. de pecul. pr. l. 14. 12. l. 26. ff. de oblig. & act. l. 33. ff. eod.* tamen nullibi legitur, fiscum ex tali contractu habere tacitam hypothecam. Erubescimus autem sine lege loqui, *nou. 18. c. 5.* (2) quia fiscus ex contractu litis contestationis, habere priuilegium prælationis nullibi legitur. Erubescimus autem sine lege loqui. *nou. 18. c. 5.* Nec obstat, quando dicitur, fiscum semper habere jus pignoris *l. 46. §. 3. ff. de jur. fssi.* Hoc, inquam, non obstat, nam fiscus semper habet jus pignoris, si ipse extra judicium formaliter & expresse contrahit, *l. 2. C. in quib. caus. pign. l. 46. §. 3. ff. de jur. fssi.* Ast, fiscus non habet jus pignoris, si in iudicio tacire contrahit, dum item contestatur cum delinquentे; quia fiscus nullibi legitur, ex contractu litis contestationis, habere tacitam hypothecam. Erubescimus autem sine lege loqui, *nou. 18. c. 5.* Deinde, actio ex delicto, per litis contestationem quidem mutatur, ut post litis contestationem amplius non sit ex delicto, sed ex contractu, quo aduersus heredes delinquentis agi possit, *pr. l. 4. 12. l. 26. l. 58. ff. de oblig. & a. elion.*

dion. Ast pœna delinquentis, per litis contestationis contractum, naturam pœnae non admittit, sed manet pœna, & per litis contestationem & sententiam deum sit actu pœna. Fiscus autem, ratione pœnae delicti, in bonis delinquentis non habet tacitam hypothecam, nec priuilegium l. 17. l. 37. ff. de jur. fisci. l. un. C. pœn. fisci cred. pref. Nec obstat, quando dicitur, fiscum ratione debiti ex contractu descendantis, præferri chirographariis, l. 38. §. 1. ff. de reb. auct. jud. possid. Ergo habere priuilegium; quia is, qui præfertur chirographariis, priuilegium prælationis habere debet. Alias enim ipsis præferri non posset, sed cum iis pro rata debiti concurreret, l. 17. ff. de reb. auct. jud. possid. l. 6. C. de bon. auct. jud. poss. l. 1. §. 14. ff. de magistrat. comuen. l. 5. §. 17. ff. de tribut. ag. Hoc, inquam, non obstat. Nam (1) in l. 38. §. 1. ff. de reb. auct. jud. poss. non dicitur, fiscum ratione debiti præferri chirographariis, sed hoc dicitur rem publicam creditricem omnibus chirographariis creditoribus præferri. Res publica autem, ratione debiti ex contractu venientis, non est fiscus, nec habet fiscum, quia solus princeps fiscum habet, dum res publicæ populi romani, in causa debiti ex contractu descendantis fisco opponuntur l. 16. ff. de verb. sign. Deinde princeps & res publica multum differunt. Nam fiscus, ratione debiti ex contractu descendantis, habet tacitam hypothecam in bonis debitoris sed non priuilegium l. 2. C. in quib. caus. pign. l. 8. l. 21. ff. qui pot. in pign. vel hypothec. hab. Ast res publica habet priuilegium prælationis, sed non tacitam hypothecam, l. 38. §. 1. ff. de reb. auct. jud. poss. l. 2. C. de

de jur. reip. Hinc errat Meyrerus in tract. de pign. lib. 2.
tit. 3. n. 23. dum ibi dicit, fiscum post sententiam, ratione
pecuniarie poenæ, habere priuilegium & hypothecana
prælationis sicuti in contractibus, quia ob sententiam
obtentam, quasi contractum inesse videatur. Sic er-
rat Bald. Calvrens. & Jason. in l. 10. ff. de pac. Gloff. &
Bart. in l. 1. C. pæn. fisc. cred. præf. Bart. in l. 46. §. 9. ff. de
jur. fisc. dum ibi itidem docent quod Meyrerus adserit
uti Meyerus lib. 2. tit. 3. n. 23. testis est. Hinc errat Carp-
zou. p. 1. c. 28. dec. 104. n. 2. dum ibi dicit, nihilominus
ratione poenarum fiscalium, fiscum habere tacitam hy-
pothecam & priuilegium prælationis, a tempore con-
demnationis, & præferri posterioribus hypothecariis,
sive expressis, sive tacitis, propter generalitatem textus,
in l. 46. §. 3. ff. de jur. fisc. Gloff. in l. un. C. pæn. fisc. credo
præferr.

§. XXIX.

Omnes expressiones, quas ille sic dictus a Mara
sive Schnegassius, habet, non facimus nostras, interim
intuitu decisionis principalis, & quod fiscus non habeat
tacitam hypothecam propter debita ex delicto, cum
eo contentimus. Errauit omnino Carpzouius, quia
homo fuit & nihil humani a se alienum esse putauit.
Erubesceret forte etiam, quod a Mara ipso diligen-
ter inculcavit, nisi mors ipsum præuenisset.

§. XXIX.

§. XXIX.

Manemus ergo in thesi nostra, quod jure romano fiscus non habeat tacitam hypothecam propter debita ex delicto. Interim hoc certum est, quod per statuta ejusmodi hypotheca omnino introduci queat. Cum vero, inquit Strykius *us. modern. ff. quib. mod. pign. tac. contrah. §. 5.* expediti juris sit, statutorum & jurium provincialium eandem esse efficaciam, quam juris communis & consuetudinem quoque vim legis habere, imo majoris esse autoritatis, quam jus commune, *l. 32. & seqq. ff. de LL. Crauetta conf. 238. n. 6.* Idem *conf. 251. n. 3.* facile adparet, ultra casus jure communi determinatos, tacitum pignus a lege provinciali vel consuetudine introduci posse, *l. 33. C. de episc. Meu. p. 1. dec. 173. num. ult. seqq.* *Lauterbach. de priuil. cred. person. simpl. thes. 10.*

§. XXX.

Eiusmodi lex provincialis viget in electoratu Saxoniae. Disponitur enim *in ordinat. process. tit. 43.* Desgleichen, ob woll der fiscus wenn er mit einem contrahiret, oder einer ihm sonst schuldig wird, neben der stillschweigenden Verpfändung das priuilegium, daß er nicht allein den andern Gläubigern, so keine andere ältere Verpfändung haben, vorzehen, sondern auch in den Gütern, welche der Schuldener, nachdem er mit ihm contrahiret, überkommen, denen, welche ältere ausdrückliche Verpfändung erlanget, vorgezogen wird, so hat doch solch jus prælationis in den verwirrten Strafen nicht statt, sondern es muß sich der fiscus mit der

D

still-

stillschweigenden Verpfändung, von der Zeit anzurechnen, da einer in die Strafe vertheilt worden, seiner Ordnung nach, unter den hypothecariis contentiren lassen.

§. XXXI.

In ordinatione processuali Gorhana part. 1. c. 18. §. 8. n. 5. similis dispositio reperitur. Ebenmäsig soll der fiscus, (oder einer Herrschaft und Obrigkeit Cammer und Cammerery,) wenn er mit einem contrahiret, oder ihm einer sonst schuldig, in den Gütern, welche der Schuldner nach dem contract erlanget vor andern, so ältere ausdrückliche Verpfändung daran haben, die prarogatio geniessen, welches jedoch in den verwirckten Straffen nicht statt finden soll, denn der fiscus disfalls sich mit der tacita hypotheca, von der Zeit an zu rechnen, da einer in die Strafe vertheilt worden, unter den hypothecariis begnügen lassen muss.

§. XXXII.

Jure Magdeburgico eadem tacita hypotheca obtrinet juxta ordinat. process. c. 49. class. 2. §. 33. 34. & 35. Nachst Diesem werden die Schulden bezahlet, so dem fisco oder dem publico in den Fällen, da es die priorität hat, zwständig, wann sie ex contractu herriühren, weil nach der Rechts-Gelehrten begründeter Meinung ihme, neben der stillschweigenden Verpfändung, auch das priuilegium zusteht dahero er nicht allein denen ältern persönlich priuilegirten, sondern auch denen nachgehen den hypothecarien vorgezogen wird. In denen verwirckten Straffen aber, wird der fiscus oder das publicum alleine unter die Gläubiger so stillschweigende Verpfändung haben, gesetzt, und ist solches von der Zeit

Zeit an zu rechnen, da einer in die Strafe verurtheilet worden. Es erstrecket sich aber folch priuilegium sive auf den casum confiscationis gar nicht, denn wenn gleich dem Schuldener, seiner Verbrennung halber, alle seine Güter eingezogen würden, so sollen doch alle vorher gemachte Schulden zuerst davon abgezogen und gezahlt werden, und was also dann noch übrig, das bleibt bei dem sive zur Strafe verfallen.

§. XXXIII.

Jus Würtembergicum quoque fisco fauet part. I.
tit. 75. sub rubr. de concurs. & prælat. eredit. Nach ist ge-
meldten Gläubigern, wollen wir, daß die Herrschaft,
Gemein Nutz und Oberkeit den Vorgang habe: also daß
wader Schuldner Steuer, Schatzung, NB. Fräueloder
Vergleichen schuldig verblieben, solche vor allen andern
bezahlet werden sollen.

§ XXXIV.

Jure Prutenico idem dispositum reperitur Land N.
lib. i. tit. 49. §. 4. item wegen der verfallenen Straffen
und Bussen soll sich fiscus und ararium mit der stillse wet-
tenden Verpfändung von der Zeit an zu rechnen, da ei-
ner ex contractu vel administratione schuldig oder in die
Straffe beurtheilet worden, seiner Ordnung nach unter
den hypothecariis contentiren lassen.

§. XXXV.

Ex diverso secundum ius Bavaricum fiscus hypothecam non habere videtur Gant-Process. tit. 2. art. 16. Fiscus kommt in die stehende siell, wo derselb. krafft eines contracts oder einer Verwaltung so jemanden anvertraut worden, was zu fordern hat, und der wegen

D 2 has

hat er, auch ein stillschweigend Pfand, und noch dazu den Vorzug vor allen ältern Gläubigern, die auch nur stillschweigende Pfandt, doch bey solchen, dergleichen Freyheit des Vorzugs, welche denen in vorgehenden Artikeln gesetzten Gläubigern gegeben ist, nit haben, wie auch vor denjenigen, welchen gleichwoll des Schuldners Güter insgemein zu vor aufstruckenlich verschrieben worden, ihnen aber sonst benebens kein sondere Freyheit des Vorgangs halben, von rechtswegen gebürt, in denjenigen Gütern die der Schuldner erst hernach, als er mit dem fisco contrahiret, oder ein Verwaltung von ihm bekommen erobert hat, wie er denn auch dem Heurath-Guth vorgehet, wenn der Mann vor Erlegung desselben, dem fisco verbunden gewesen, wann aber der fiscus mit Kraft eines contracts oder Verwaltung, sonderwegen demselben sonst ein Erblass, oder ein verworcktes Gut heim gefallen, oder wegen verfallener Straffen was zufordern hat, soll hie durch den Gläubigern an ihrem rechtmäßigen ältern Sprüchen nichts bekommen sein.

§. XXXV.

Hæc sunt beneuole lector, quæ de quæstione: an fiscus habeat tacitam hypothecam propter debita ex delicto? tecum communicare potuimus. Breues fuimus, imo esse debuimus propter angustiam tempus. Tu interim omnia in meliorem partem interpretare.

TANTUM.

ULB Halle
005 611 202

3





B.I.G.

Black

41.
1720 23
5

DISSERTATIO JURIDICA
DE
**HYPOTHECA
TACITA FISCI
PROPTER
DEBITA EX DELICTO,**

QUAM
DEO T. O. M. ADNUENTE
IN ILLUSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA;
PRÆSIDE
**JACOBO FRIDER. LUDOVICI, JCto,
POTENTISS. BORUSS. REGIS CONSILIARIO AULICO
ET PROF. PUBL. ORDINARIO,**

Ad d 18. MAJ. MDCCXX.

H. L. Q. C.

Placido eruditorum examini submittit
IOHANN MARTIN SCHOTT,
HASSO - DARMSTATINUS.

HALAE MAGDEBURGICAE,
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.